

dextram vel laeuam, aliamque plagam quamlibet, vbi res aliae existunt, differre possunt. Circuli ipsi ratione aliorum variant: alii interni concentrici aut eccentrici; alii externi, a se inuicem varie remoti, alios aliosque formant angulos, si eorum centra rectis connexa sint; alii aequales, et tam exacte congrui, vt se mutuo tegant, et tamen in aliis planis situm suum habeant. Res quemadmodum similes iisdem gaudent qualitatibus, et quatenus similes sunt, eodem modo determinantur: ita situs similes et eodem modo determinantur, et eisdem gaudent qualitatibus. At dissimiles alio modo determinantur, aliisque internoscuntur qualitatibus, et ad res alias respectibus. Situs aequales non eandem tantum distantiam, sed eandem quoque rerum positarum, vti linearum reclarum et curuarum, magnitudinem postulant. Congruentia autem situum tam qualitates omnes easdem, quam magnitudines requirit; vt res congruae tegere se, penitusque sibi inuicem substitui, vt earum distantia, quantitas, atque qualitas eodem prorsus modo determinari possint.

Quando in Geometria rerum distitarum situs horizontalis definiendus est, considerari solet, detur ad earum vnā, aut et alteram, vel nullam, accessus? Si duae sunt illae, et ex loco assumto tertio ad vtramque aditus patet, vtriusque a tertio loco, instar puncti spectato, distantia et angulus interceptus mensurantur. (§. 180 et 194. *Geom. Lat. Wolf.*) Quando altera tantum accedi potest, mensurata illa distantia sumitur pro basi, et producitur aequaliter, tum mensurantur duo anguli ad illam basin transferunturque in aequalem productam, sic duo formantur triangu-
 gula, in eodem vertice coeuntia, aequalem basin, et aequales ad basin angulos habentia, quo ipso distantia rei inaccessae ab accessa innotescit (§. 280. *ibid.*) Si neutra accedi potest, e duabus assumtis stationibus mensurata earum distantia habetur pro basi communi duorum triangulorum, ad quam mensurantur duo anguli vtriusque trianguli, et sic obtinetur distantia et situs duarum rerum inaccessarum. (§. 281. *ibid.*) Vbi plures, quarum situs dirimendus est, res inaccessae occurrunt, ad singulas binas idem problema, ope eiusdem basis, adcommodatur. Haec de situ horizontali. In verticali altitudinis accessae, mensurata basi, ad quam alter angulus est rectus, alter acutus, modus exigatur, atque sic per triangu-
 la similia quaesita obtinetur altitudo (§. 284. *ibid.*) Si inaccessa est altitudo, e duabus stationibus assumtis harum distantia pro basi accipitur, ad quam rursus anguli duorum triangulorum similibus magnitudine
 B 2 sua